

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 2997

**Autre(s) référence(s) :** Fauroux 120

**Auteur(s) :** Guillaume fils Osbern [particulier]

**Bénéficiaire(s) :** La Vieille-Lyre, Notre-Dame de Lyre (abbaye)

**Genre d'acte :** pancarte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** ...1050...

**Action juridique :** fondation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Charte de fondation de Notre-Dame de Lyre.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissey, 1862, t. 1, p. 485, 545 (extraits).
- b. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissey, 1868, t. 2, p. 191-192, 216, 422, 539 (extraits).
- c. Guéry Charles-Arthur (Abbé), *Histoire de l'abbaye de Lyre*, Évreux, Imprimerie de l'Eure, 1917, appendice, n° I, p. 563-567.
- d. Fauroux Marie, *Recueil des actes des ducs de Normandie de 911 à 1066*, Caen, Caron (MSAN ; 36), 1961, n° 120, p. 284-286 (extraits).

Texte établi d'après c

Notum sit omnibus sancte matris Ecclesie filiis quod ego Guillelmus filius Osberni pro remissione peccatorum meorum, ac pro animabus propriorum parentum, spontanea voluntate cum uxore mea Adeliz, coramque fidelibus meis hec que subscripta sunt concedo Ecclesie Sancte Marie semper Virginis, monachis ibidem sub abbate Rotberto omnipotenti Deo servientibus, gubernante atque regente patriam Normannie Guillelmo, Venerabili comite filio Rotberti comitis, presulatum ebroicensium procurante Guillelmo filio Gerardi, in loco qui Vetus Lira nuncupatur, terram de eadem villa quam tenebam in meo dominio, et unum molendinum in eadem villa, et totam aquam ab Nova Lira usque ad Calet, et totam decimam de toto luco de Bermecort, et ejusdem silve ritum, ligna ad domos illorum construendas, et omnium sub illis habitantium, et herbam, et ejusdem silve fructum ubicumque porci mei et alia pecora currunt, et medietatem Nove Lire, et molendinum, et terram Guarini de Calet in dominio, et servicium de terra Rotberti, et servicium de terra Gundranni, quam ipse de me tenet et de Radulfo, et totam terram de Cahameth quam ipse tenebat in manu sua, et totam terram Theoderici Tirel que sibi remansit de hereditate patris sui, et Trisaicum, libere absque ullo malo ritu, et terram Radulfi vivente eo servicium, et marneras et totam terram de Fraetis, et molendinum de Brustillai, et quod tenet Guillelmus Amandi filius ad Paceiam cum post obitum ejus, et decimam ejusdem ville, silvarii et piscium et vini, et fevium Gualonis, videlicet, ecclesias de Bretoil, et decimas, et terram et domos, libere, et meam decimam nummorum, scilicet ipsius ville, et molendinorum, atque furnorum, et decimam omnium liberorum illius parochie, totam et medietatem Frotmundi de Gloth, et viginti acras terre, quas tenebat Witbertus, et decimam Pontis Sancti Petri videlicet denariorum et molendinorum, et decimam

molendinorum de Pistris, et ejusdem ville villanorum census decimam, et villanorum de Romeilto, et ecclesiam de burgo supra dicti Pontis, et quodcumque tenet Teobaldus in valle de Pistris, post obitum ipsius, ecclesias videlicet et decimas, et terras, et omnem decimam terrarum et molendinorum de Beissin, quas adquisivi, et decimam Isenbardi de la Haia, et decimam mercati de Melicort, et medietatem decime equorum Glothi, et ejusdem ville preture decimam et decimam omnium quecumque potero adquirere omnibus diebus vite mee. Hec omnia supra scripta concedo Abbacie Lire, in honore Sancte Marie Virginis constitute.

Testibus : Guillelmo Azimo, et Ernaldo filio Popeline, Rogero de Witoh, Gualchelino de Thaneth, et Rolo, et Guillelmo dapifero et Hugone Asino.

Dedit quoque domina Adeliz eidem Abbacie, eodem dominio suo Guillelmo Scanna, Comitissa que habet in dote sua, et omnia ornamenta que possidet, et que possessura est usque in finem, post depositum sui corporis.

Testibus : Rogero de Monte Gomerico et Guillelmo Azimo et Guillelmo dapifero.

Quicumque de eis que intra hanc paginam et hic continentur aliquid abstulerit, excommunicetur et a liminibus sancte Ecclesie sequestretur, nisi resipuerit et ad satisfactionem venerit.

† Signum Guillelmi filii Osberni. — † Signum Guillelmi Episcopi. — † Signum Guillelmi archiepiscopi. — † Signum Guillelmi Normannie principis. — † Signum Mahilde uxoris ejus. — † Signum Adelidis uxoris. — † Signum Rogerii de Monte Gomerico.

Ego Ernaldus Popeline filius concedo Abbacie Lire ecclesiam de Corneuil, et omnem decimam quam teneo in dominio meo, et decimam Fulcoini et aliorum ab eo tenentium et omnem decimam de silva Pantol et de silva Fulberti, concedente domino Guillelmo, filio Osberni. Ego Ernaldus Ernaldi filius accipio fraternitatem et beneficium Abbacie Lire, et concedo monachis ibi Deo servientibus decimam molendini quem teneo de pontifice Ebroicensi et unum hospitium de Caiane et totum quod dedit pater meus et omnem partem mei census in morte.

— Testibus : Guidone filio Grenti, Guarino de Calepto, Hugone, Milone, Guillelmo molendinario.

Ego Radulfus de Conchis concedo Abbacie Lire, audiente et concedente Guillelmo Anglorum rege et Normannorum principe, terram que est a via Guarlenville usque ad divisiones terre quem tenuit Robertus filius Gothmanni et sicut jubeo.....

† Signum Guillelmi Anglorum regis. — † Signum Mahilde regine. — † Signum Roberti filii ipsius. — † Signum Radulfi de Conchis. — Ego ipse Radulfus concedo eidem Abbacie burgensem unum Ferrarie. Testibus : Radulfo, filio ejus, et Ypolito, et Girardo clerico, et Walterio Cocco, et clamabo britone, et Symone filio Anserici.

Ego Guillelmus Guillelmi comitis filius concedo Sancte Marie Lire et monachis ibi Deo servientibus decimam peagii quod dedit mihi Robertus comes Normannie ad Pontem Sancti Petri et ab Herberto filio Hugonis, et Baldrico filio Hoel.

Notum sit omnibus fidelibus quod ego Guillelmus Guillelmi comitis filius concedo Sancte Marie Lire monachisque ibi Deo servientibus omnem decimam et redicimam quas teneo in dominio in omni valle Pistris propter mutationem terre quam Sancta Maria habuit Bermercort, tempore Ernaldi abbatis. — Testibus : Guillelmo Azimo, Guillelmo dapifero, Ernaldo filio Popeline, Richardo filio Anseredi, Guillelmo filio Guachelini, Bermundo homine suo, Fulcone de Silva Normanni, Johanne filio Fulberti, Guarino de Caleth, Rotberto de Marneris et Guillelmo ejusdem ville.

Ego Guillelmus Guillelmi comitis filius concedo Sancte Marie Lire terram ad unam carrucam apud Sanctum Agilum et terram Hugonis, mei venatoris, ita liberam quod nichil mea retineo. Si porci hominum illius terre currerint in silvam meam nichil inde accipiam. Ex qua concessione tredecim libras rotomagensis monete ab Abbate Ernaldo accipio, tempore Guillelmi, venerabilis Anglorum regis filii Roberti Comitum gubernantis atque regentis patriam Normannie. — Testibus : Guillelmo dapifero, Guillelmo filio Gualchelini, Ernaldo filio Popeline, Richardo filio Anseredi, Guillelmo filio Guachelini, Bermundo homine suo, Fulcone de Silva Normanni, Johanne filio Fulberti, Guarino de Caleth, Rotberto de Marneris et Guillelmo ejusdem ville, Witberto forestario Farsith, Ingenulfo de Neielfa. — Ego idem Guillelmus concedo eidem ecclesie Lire feriam Sancti Agili cum omnibus bonis consuetudinibus, ita liberam sicut tenebam. — † Teste Willelmo nepote meo (de Marneris), Walterio (de Croisi), Huberto (Pouber), Ivone, ex parte, etc.

Ego ipse Guillelmus concedo eidem ecclesie Lire et omnibus monachis Deo ibi servientibus ecclesias Glotis et decimas et domos et omne quod de me tenebat Radulfus Hugonis filius, scilicet decimam nummorum ville et alia que illius erant. — Testibus : Guillelmo Azimo, et Ricardo de Gisiaco milite cujus cultello donum factum fuit et Fulcone de Silva Normanni et Ernaldo filio Ernaldi et Guillelmo fratre ejus, Crispino de Barra, Guillelmo de Marneris, Ingenulfo de Neielfa, Hugone et Milone Regente et gubernante patriam Normannie Roberto Comite... Hanfrido, Milone, Warino, Tustino.

Notum sit omnibus fidelibus quod nos Gretonis filii videlicet Ingenulfus, Guillelmus, Robertus, Wiardus concedimus atque damus Sancte Marie Lire pro anima patris nostre terram unius quadrage que adjacet Chahannei. Ex parte eorum testes : Radulfo Grammatico, Lamberti filio Guarenburgis, Hugone Buissonne, Herberto Guanardo ; ex parte Sancte Marie : Hugone de Trisaico, Vauterio Cocco, Roberto de Caleth et Roberto de Valle.

Notum sit omnibus fidelibus quod Osmundus de Walvreaia uxorque ejus concesserunt Sancte Marie Lire omnibusque in ea Christo servientibus decimam duarum carrucarum in Waspreia, Pro qua etiam fratres in caritate XXXa solidos ipsis dederunt. Ex parte illorum teste Ernulfo Ansfredi filio ; ex parte Sancte Marie : Hugone de Trisaico, Turstino pistore, Roberto de Caleth.

Notum sit omnibus quod Willelmus de Teuvraico audientibus et annuentibus fratribus suis Roberto et Hugone dedit monachis Lire aream molendini Thaneret de Nova Lira, et pactus est se pro posse suo illud donum tueri perpetuo. Testibus hiis : Aalardo et Ricardo presbyteris, Herberto filio Fulcoldi, Teoderico pretore, Rogerio de Malapalu, Johanne nepote abbatis, Herberto Fretel, Gilleberto Gifart, Semelio, Roberto de Pace et fratre ejus.

Notum sit omnibus quod Ricardus Mahiart et Symon de Gutteriis petierunt abbatem Hildebertum ut a domino Brittolii impetraret quatinus servicium quod illi impendebant de Mancellis cenobio Lirensi concederet. Dominus itaque Brittolii victus tam amore cenobii quam abbatis precibus idem servitium quod de Mancellis sibi debebatur cenobio Lirensi concessit et super altare posuit, multis presentibus, Rogerio scilicet de Glotis, et ipsis dominis ipsius feudi Ricardo et Symone et Roberto de Calet, et Turolde de Valle, et multis aliis.

Ego Ernaldus, Popeline filius, concedo Sancte Marie Lire, pro nepote meo Guillelmo monacho faciendo, omnem decimam quam tenebam in meo dominio ad Campum Dominel. Testibus istis : Johanne filio Fulberti, Lebranno nepote meo, Guillelmo filio Theolini, Rainaldo patre ipsius nepotis mei, Ingenulfo de Neielfa, Rogero de Valle, Herveo pistore, Radulfo preposito Veteris Lire.

Guillelmus de Tornaico et frater ejus Gislebertus cum matre sua, cujus dos erat, concesserunt Sancte Marie Lire et monachis ibi Deo servientibus decimam Candaminel de dominio et de liberis et de villanis, et inde acceperunt a fratribus octo libras cenomannensis monete et septem drocensis monete, que antea erant in vadimonio ipsius decime. — Testibus : Godefrido de Verreriis et Odone de Vilers, et Radulfo sacerdote ipsius ecclesie, et ex una parte Hugone et Milone, et Godardo, et David de Scannis, et Ricardo filio Rainaldi Carpentarii, et Radulfo Colea. Radulfus Pomerelli et Rogerus frater ejus concesserunt sancte Marie Lire ecclesiam suam et omnem decimam quam habent in dominio. Testibus ex parte ejus : Gualterio de Cornuil et Rogero de Folta ; et ex parte Sancte Marie Crispino de Barra, Ingenulfo de Bretechia, Guillelmo de Marneriis et Rogero filio ejus, et Hugone, et Milone, et Toroldo, Rogero coquo, Torstino Anshetillo canavo.

Robertus de Trunco Villare concedit Abbatie Lire ecclesiam Morenville et hospitatum sacerdotis cum arpeno, et alium hospitatum juxta ecclesiam, conveniens ad nostrum opus, et terram duorum boum, et omnem suam decimam illius parrochie. Testibus ex parte ejus : Rotberto de Garricis, et Gualtero de Cornuil : et ex parte Sancte Marie : Hugone et Milone, Torstino, Isenbardo, Rogero Coquo, Rogero filio Hervei, Letberto filio Gislodi, Fulcuino Piscatore, Gerardo, Roscelin omolendinario, Ansfrido Tirello, Gervasio Farmanno, Radulfo Pulcino, Ernaldo Fabro.

Notum sit omnibus quod ego Gillebertus filius Rogerii, concedo Sancte Marie Lire omnes decimas illas de terra Willelmi Hofei de fedio meo, quas ille et homines sui dederint, vel dare voluerint. Ex parte mea testibus : Bernardo, filio Gulberti de Broherlant, Behellan et Gilleberto fratre suo, et Radulfo de Logis, et Gaufrido filio Rogerii filii Herenberti et filiis Goelli qui erant in captione in domo mea apud les Issarz : ex parte Sancte Marie : Rogerio filio Herenberti, Rogerio Villano, Milone, Hugone de Trisaico, Herberto Guaimare. Et pro concessione ista dedit abbas quadraginta solidos drocensis monete, quos tradidit Herbertus in domo sua. Testibus ex parte illorum : Bernerio forestario, Yvone presbytero, Aalone de Pertico ; ex parte Sancte Marie : Herberto presbytero, Hildeberto Fabro, Guarino Durodente.

Henricus, rex Anglorum, Girardo episcopo et Hugoni de Laceio et omnibus baronibus suis francis et anglis de Herefort, salutem. Sciatis quod concedo ut Hugo Asinus det aclea quoddam manerium scilicet in quo est una hircla terre ut ipse illud det ecclesie de Lira et abbati et monachis ejusdem ecclesie. Quapropter volo et precipio ut abbas ita teneat eam terram cum illis consuetudinibus omnibus quas Hugo predictus melius habuit in tempore patris et fratris mei regis Willelmi. Teste Osberno filio Richardi et Richardo filio Poncii et Rogerio de Insula apud Numeham, in primo die adventus.